

Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficiarum tam antiquorum,
quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in
tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

749. An, si Cardinalis Episcopis collator Ordinarius non contulit intra 6.
menses beneficium, quòd vacavit in mense aliàs apostolico, ad quem fiat
devolutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](#)

ob vitium electi irritetur, denuo vacat beneficium,
& tanquam denuo vacans provideri debet. Ca-
strop. loc. cit. n. 7.

Questio 747. Quo jure Ordinarius con-
ferat beneficia ex negligentia inferioris col-
latoris ad eum devoluta?

Respondeo primò: jure proprio & veluti re-
assumptionis, quod declaratur, dum Prałatus
inferior constitutus intra diœcesin, & sub Episco-
po seu diœcesano de consuetudine legitimave pre-
scriptione, aut jure alio speciali beneficia quādam
conferre habet, ita ut solum collationis exercitium
vel jus actuale penes illum residet, ipso jure habi-
tuali conferendi, quācunque possessione vel con-
suetudine non obstante inabdicabiliter & impre-
scriptibiliter penes Ordinarium seu Episcopum
continuante, adeoque collator inferior non nisi
tanquam sub Ordinario ejus veluti partes vicarias
gerendo conferat, Ordinarius vi hujus juris sui ha-
bitualis, quoties inferior ius suum actuale exercere
negligit, aut male exercet, hinc conferendo ea E-
piscopus agit jure proprio & nativo, seu primo
semper retento in omnia diœcesis sua beneficia,
solumque accidentaliter impedito ejus exercitio,
quod ex consuetudine aliōve jure speciali translatis
est in inferiorem collatorem, sub implicita tam-
en conditione illud recte & diligenter exercen-
di. Et sic, dum contingit casus negligentia vel ma-
li exerciti inferioris, Episcopus non conferat jure
novo ac dativo, tanquam mittens falcum in alien-
nam messim, ita ut proprii messoris partes sup-
pleat; sed jure suo, ac potius in ratione reassump-
tionis ac reversionis ad suam causam, tanquam
ex cessante causa concessionis dicti exercitii seu
juris actualis, quod remanet resolutum. Cujus con-
trarium est in Metropolitanano, aut Patriarcha, dum
negligente, aut indigne conferente Episcopo, ad
eum devoluntur collatio; hic enim jus nullum ha-
bet proprium & ordinarium conferendi beneficia
alienæ diœcesis, sed illud ita accidentaliter acquirit
potius jure dativo, & quodam jure auxiliario, sup-
plendo partes proprii pastoris negligentes, ut ita
consultum sit Ecclesiis, ne diuturnam pariantur
vacationem; cū Papa, qui est Ordinarius Ordinariorum,
ob locorum distantiam & negotiorum
multiplicitatem supplere commodè non possit has
partes, quas juxta limites ab eo præscriptos Metro-
politanis vel Patriarchis commisit, ita ferè Card.
de Luca de benef. d. 1. n. 7. 9. 16. citans pro hoc Abb.
en c. cūm contingat, de foro compet. n. 18. Barb. de Epis.
alleg. 127. n. 19. & Rot. decis. 514. n. 1. p. 1. divers. At-
que ita propter dictum jus illud habitualē perse-
rans apud Episcopum, beneficium dicitur spectare
ad dispositionem Ordinarii, quod si potest confer-
re tantum in casu devolutionis. Card. de Luca loc.
cit. num. 12.

2. Respondeo secundò: nihilominus in benefi-
ciis exemplis Ordinarius non jure proprio & dio-
cesano; sed ex delegatione Sedis Apostolica sup-
plet negligentiam collatoris. C. de Luc. de benef.
d. 27. n. 10. citans Rotam decis. 635. n. 2. p. 3. & de-
cis. 891. n. 3.

Questio 748. Num is, ad quem facta de-
volutio, possit etiam mittere in possessionem?

Respondeo affirmativè, vel talitem potest præ-
cipere, ut provisus à se mittatur in possessionem

ab iis, quibus ex cuiusvis Ecclesiæ consuetudine id
competit; inducione enim in possessionem accessione
sequitur ad jus per legitimam collationem ob-
tentum. Laym. in c. ex parte. de concess. prob. nam
Pirh. loc. cit. n. 42.

Questio 749. In particulari, an si Cardi-
nalis Episcopus collator ordinarius non con-
tulit intra 6. menses beneficium, quod va-
cavit in mense alias Apostolico, ad quem fiat
devolutio?

Respondeo ad Archi-Episcopum seu Metro-
politanum, juxta terminos c. 2. de concess. prob.
Garc. p. 5. c. 1. n. 631. Gonz. gl. 24. q. 4. ex n. 78. quia
tale beneficium nunquam fuit reservatum; cum
regula 8. Cardinales ordinarios collatores non
comprehendat, sed eos excipiat; nec beneficium
per devolutionem vacat de novo, sed semper du-
rat prima vacatio, & sic, cum à principio non fuit
reservatum, remanet tale, seu non reservatum in
perpetuum. Sed neque Cardinalis Episcopus po-
test dici exemptus ab Archi-Episcopo ad istum ca-
sum devolutionis, maxime, cum beneficia ipsa nul-
lo modo possint dici exempta ab Archi Episcopo.
De cetero dum Cardinalis negligit vigore indulti
conferre beneficium reservatum, devolvit colla-
tio ad solum Papam: quod longè quid diver-
sum est à præcedente puncto; cum agatur de be-
neficio reservato conferendo vi indulti, quod sem-
per remanet, & à principio fuit reservatum. Garc.
n. 632. Gonz. gl. 53. à num. 37. contra Chok. ad
reg. 8. gl. 10. n. 6. ubi, dum dicit beneficia, quæ vi
indulti conferre potest, & negligit conferre, de-
volvi ad Archi Episcopum, & non ad Papam, vi-
detur confundere beneficia, quæ vigore indulti
confert Cardinalis cum iis, quæ confert vi exce-
ptionis facta in regula 8. Idem cum Chok. tenet
Tond. in qq. benef. p. 2. c. 3. s. 5. n. 20. dicens devolvit
in eo casu collationem ad immediatum Superio-
rem, etiam si vacatio contigat in mense Apo-
stolico, cuius rei ratio fundetur in ea generali regula,
quod indultum Cardinalis tantum removet obsta-
cula & impedimenta regularum Caecularia; &
provisi in consequentiam indultorum non dicun-
tur provisi Apostolici quod ad ea, quæ ipsi Cardina-
les tanquam Episcopi conferre possunt; imo cen-
sentur semper provisi auctoritate ordinaria; quia
etiam si Cardinalis diceret, se providere vigore indulti,
tamen provisum ab eo diceretur provisum ab
Ordinario quod ad ea, quæ à potestate ordinaria de-
pendent. Et hinc locus est dispositioni c. 2. de prob.
ita ille; quamvis in sequentibus idem ferè iisdem
verbis dicat, quod nos in anteriore parte respon-
sionis.

Questio 750. Ad quem fiat devolutio à
Legato de latere?

Respondeo: ab eo non fieri devolutionem, nisi
ad solum Papam; cum nulli alii subsit. Garc.
p. 5. c. 3. n. 22. Porro cū Legatus conferre possit
beneficia devoluta, etiam ex propria culpa seu ne-
gligentia ad Papam (ut tenet Garc. n. 26. securus
Gamb. de pot. Leg. l. 3. num. 14. & 622. Selv. p. 2. q. 3.
n. 42. Imol. Card. & alios, quos citat contra La-
pum in Clem. si de benef. de prob. dicentem, non
posse Legatum, postquam negligens fuit in confe-
rendo, ex potest conferre illud, dum collatio devo-
luta ad Papam) non currit illi, sicut aliis Ordina-
riis.